Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31655
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

de virgine. Quam nimirum cordis munditiam quisquis adipisci non appetit, quid aliud quam eiusdem a se munditiae auctorem repellit? Unde et beatus Iob protinus subdidit: Quam enim partem haberet Deus in me desuper, et hereditatem omnipotens de excelsis? Ac si aperte dicat: Si mentem in cogitatione polluero, eius qui munditiae auctor est esse hereditas nequaquam possum. Nulla enim bona sunt cetera, si occulti iudicis oculis castitatis testimonio non approbantur. Omnes quippe virtutes in conspectu conditoris sui vicaria ope se sublevant, ut quia una virtus sine alia vel nulla est omnino vel minima, vicissim sua coniunctione fulciantur. Si enim vel castitatem humilitas deserat, vel humilitatem castitas relinquat, apud auctorem humilitatis et munditiae prodesse quid praevalet vel superba castitas vel humilitas inquinata? Sanctus igitur vir ut ab auctore suo in bonis reliquis possideri mereatur, cordis munditiam custodiens dicat: Pepigi foedus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine. Quam enim partem haberet Deus in me desuper, et hereditatem omnipotens de excelsis? Ac si aperte fateatur dicens: Habere me in possessionem suam excelsorum conditor renuit, si mens mea ante conspectum illius in infimis desideriis tabescit. Sed inter haec sciendum est aliud esse quod animus de temptatione carnis patitur,

aliud vero cum per consensum delectationibus obligatur. Plerumque enim cogitatione prava pulsatur, sed renititur; plerumque autem cum perversum quod concipit, hoc intra semetipsum etiam per desiderium volvit. Et nimirum mentem nequaquam cogitatio immunda inquinat cum pulsat, sed cum hanc sibi per delectationem subiugat. Hinc etenim praedicator egregius dicit: Temptatio vos non apprehendat nisi humana. Temptatio quippe humana est qua plerumque in cogitatione tangimur etiam nolentes. Quia ut nonnumquam et illicita ad animum veniant, hoc utique in nobismetipsis ex humanitatis corruptibilis pondere habemus. Iam vero daemoniaca est et non humana temptatio, cum ad hoc quod carnis corruptibilitas suggerit per consensum se animus astringit. Hinc iterum dicit: Non regnet peccatum in vestro mortali corpore. Peccatum quippe in mortali corpore non esse, sed regnare prohibuit, quia in carne corruptibili non regnare potest, sed non esse non potest. Hoc ipsum namque ei de peccato temptari peccatum est, quo quia quamdiu vivimus perfecte omnimodo non caremus, sancta praedicatio quod hoc expellere plene non potuit, ei de nostri cordis habitaculo regnum tulit, ut appetitus illicitus et si plerumque bonis nostris cogitationibus occulte se quasi fur inserit, statim si ingreditur non detinetur.